



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE  
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,  
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE CONCILIIS, ET|| ECCLESIA MILITANTE,|| QVATVOR LIRBRIS||  
COMPREHENSA.||

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>**

**Ingolstadii, [1599]**

**VD16 B 1607**

III. De nomine Concilij & origine.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53873](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-53873)

C A P V T III.

*De nomine Concilij & origine.*

**P**ORRO Concilij nomine idem significatur in Ecclesia, quod nomine comitiorū in regnis; nam quemadmodū cùm oritur controvērsia in Rep. conueniunt in vnum Principes regni, vel magistratus, ac statuunt quid factō opus sit: Ita in Ecclesia cùm oritur controvērsia aliqua de religione, conueniunt Præsules Ecclesiarum, & simul collatis sententiis, statuunt quod bonum videtur. Ita actum videmus Act. 15. vbi primū cœperunt Concilia Christiana celebrari, ac deinceps singulis ætatibus.

Hanc autem originem Conciliorum, etsi Albértus Pighius libro 6. de cœlesti hierarchia, cap. 1. contendat esse planè humanam, & naturali ratione excogitatam, probabilius tamen est, diuinam esse. Nam Concilium Chalcedonense in epistola ad Leonem, & VI. Synodus act. 17. & Celestinus Papa in epistola ad Concilium Ephesinum, & Concilium Toletanum III. non procul ab initio, docent Concilia esse demonstrata à Christo in illis verbis Matth. 18. *Vbi fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, illic ego in medio illorum sum.*

Deinde, credibile est, Apostolos qui pleni erant Spiritu sancto, non nisi ipso Spiritu sancto admonente primū Concilium congregasse. vnde etiam dicunt: *Vixum est Spiritus sancto & nobis.* Act. 15. Præterea, etsi ratio naturalis dictat, ut in rebus dubiis Princeps consulat homines peritos; tamen ut soli Episcopi conuocentur, & ij non sint consiliarij, sed iudices, non videtur solius humanæ rationis inuentum. Denique certum est, Conciliorum celebrationem, quæ omnibus seculis in Ecclesia fuit, de Apostolica traditione descendere; Apostolicas verò traditiones ego quidem humana inuenta appellare non auderem. Sed hactenus de origine. Nunc de nominibus uno verbo.

Nomen Latinum Concilij, inuenitur passim in Testamento veteri, & nouo, pro congregationibus Iudæorum, sed Græcè nomen, id est, σύνοδος non inuenitur in Scripturis,

26 Cap. IV. De Conciliis & Ecclesia. Lib. I.

pruris, vbi enim Latinè legimus Concilium, in Græco textu  
vbique est συνέδριον vel συναγωγὴ. inuenitur autem nomen  
Synodi primū in canonibus Apostolorum, cān. 38. vbi iu-  
bentur Episcopi singulis annis bis Concilia celebrare. De-  
inde inuenitur apud Eusebium lib. 5. histor. cap. 23. ac dein-  
ceps in omnibus auctoribus.

C A P V T I V .

*Partitio Conciliorum duplex.*

**S**VNT autem quatuor genera Conciliorum: quæ-  
dam enim sunt generalia, quædam nationalia,  
quædam prouincialia, & quædam diœcesana.  
Memborum trium primorum meminit Augu-  
stinus lib. 2. de Baptismo contra Donatistas, cap. 3. vbi dicit,  
Concilia prouinciarū, vel ejam maiora, qualia sunt regio-  
num, emendari à Conciliis plenariis. Ultimi membra me-  
minit Concilium Toletanum IV. cap. 25.

GENERALIA dicuntur ea, quibus interesse possunt &  
debent Episcopi totius orbis, nisi legitimè impedianter, &  
quibus nemo recte presidet, nisi summus Pontifex, aut alias  
eius nomine. Inde enim dicuntur Oecumenica, id est, orbis  
terræ Concilia.

NATIONALIA dicuntur, in quibus conueniunt Archi-  
episcopi, & Episcopi vnius regni, vel nationis, quibus præst  
aliquis Patriarcha, vel Primas, qualia sunt Concilia Roma-  
na, Toletana, & Africana, de quibus illud notandum est, ea,  
licet sint reuera distincta à generalibus, & prouincialibus,  
tamen vtrorumque nominibus interdum appellari.

Vocantur enim sæpe Concilia VNIVERSALIA, vt patet ex  
Conciliis Romanis sub Symmacho, vbi semper dicitur: Sym-  
machus Concilio generali præsidens: & tamen aderant solùm  
Episcopi Italizæ. Sic in Concilio Toletano III. cap. 18. dici-  
tur: Precipit hac sancta, & vniuersalis Synodus: & tamen  
solùm aderant Episcopi Hispaniæ. Idem patet ex Concilio  
IV. Carthaginensi. Dicuntur ergo ista generalia, siue vniuer-  
salia, quia sunt generalia in eo regno, non autem absolute.  
Dicuntur autem prouincialia ista eadem à Gratiano dist. 3.  
can.